



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 633. Usque Ad Annum 726

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1760**

**VD18 90117840**

§. 15. Dagoberti Obitus. Clodoveus II. Rex.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66082](#)

Sæculum VII  
A. C. 638.

c. 7.

Qui Pœnitentiam publicam initio re-  
ceperunt, & ante tempus illa rejecta  
vestem sacerdotalē resumunt, ab Episco-  
po custodiæ tradantur, pœnitentiæ legi-  
bus inviti subjiciantur, & in Monasteria  
includantur. Si id, aliquo potentiore  
resistente, exequi non liceat, excomini-  
centur secundum antiquos Canones,  
usque dum ad pœnitentium ordinem re-  
deant. Non memini, me antehac le-  
gisse, pœnitentiam aliquando fuisse vi  
extortam, nam secundum antiquos Ca-  
nones, ut hic quoque adnotatur, satis e-

c. 9.

c. 10.

rat, excommunicare peccatores, scanda-  
lum aliis præbentes, qui Pœnitentiam  
non petebant, vel suscepit non adim-  
plebant. Liberti Ecclesiarum Professio-  
nem suam renovabunt, quotiescumque  
novus successerit Episcopus. Liberi eo-  
rum erudiantur & edacent ab Episco-  
pis, eisque officia congrua exhibeant,  
salva sua libertate. Huic Concilio To-  
letano quadraginta duo Episcopi Hispa-  
niæ & Galliæ, atque quinque absentium  
Delegati interfuerunt. Primi quatuor le-  
guntur Silva Narbonensis, Julianus Brac-  
censis, Eugenius Toletanus, & Honora-  
tus Hispalensis.

### §. XV.

*Dagoberti obitus. Clodoveus II. Rex.*  
**D**agobertus Rex Franciæ, cum Epinasi  
quo-

quodam Vico ad Sequanam versaretur, Sæculum VII  
 morbo correptus, voluit in Ecclesiam A. C. 638.  
 S. Dionysii deferri, quam ornaverat, & lo-  
 cupletaverat, ut S. Martyris tutelam me-  
 reretur. Ipse tamen hujus Ecclesiæ Fun-  
 dator non est, cum illa & Monasterium  
 jam anno 627. priusquam Dagobertus  
 regnaret in Neustria, extitisse legantur.  
 Sed illam Ecclesiam auro gemmisque or- *Mabill. to.3.*  
 navit, multa pretiosa obtulit, ædificia *Analect. p.*  
 Monasterii ampliavit, & plurimos fun- *514. Id.*  
 dos in diversis locis sitos ei donavit. Imo *Diplom. p.*  
 ibidem Psalmodiam perpetuam ad ex-  
 emplum Monasterii Agaliensis instituit.  
 Rex Dagobertus obiit 18. Jan. anno 638.  
 Regni sui decimo sexto, si anni ex eo  
 tempore, quo a Parente suo Regnum Au-  
 strasiæ accepit, numerentur, & sepultus  
 est ad S. Dionysium, ubi etiam exinde  
 plurimi Reges Successores ejus conditi.  
 Duos reliquit filios, Sigebertum III. quem  
 jam anno 632. Regno Austrasiæ præfce-  
 rat, & Clodoveum II. quadrimulum, qui  
 in Neustria & Burgundia sub cura Regi-  
 ñæ Matris Nantildis & Egæ Majoris Do-  
 mus regnavit.

### §. XVI.

#### *Leges Barbarorum.*

Rege Dagoberto jubente collectæ, & in  
 meliorem formam redactæ fuerant  
 Leges omnium populorum Barbarorum,

C 5

qui